

Expositio medica casus de aegritudine animi ... / [Ernest Joseph Albeckh].

Contributors

Albeckh, Ernest Joseph, active 1688-1689.
Camerarius, Elias Rudolph, 1641-1695.
Universität Tübingen.

Publication/Creation

Tubingae : Typis Martini Rommeii, 1688.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/bntrghbv>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

I. N. J.
EXPOSITIO MEDICA
CASUS
De
ÆGRITUDINE
ANIMI.

Favente Summo Animæ & Corporis
MEDICO,

*Consensu Incltyti Medicorum Ordinis
in Per-antiqua Academia Tubingensi,*

PRÆSIDE

DN. ELIA RUDOLPHO
CAMERARIO, Ph. & Med. D. ac Prof.
Publ. Ordinario, Facult. h. t. Decano, Consiliar.
& Archiatro Wirtemberg.

*Publico Philiatrorum Examini
submissa
ab*

ERNESTO JOSEPHO Albeck / August.

IN AUDITORIO MEDICO.

Die Maij,
Horis Antemeridian.

TUBINGÆ,
Typis MARTINI ROMMEII,

Anno M DC LXXXVIII.

A. N. J.
EXPOSITIO MEDICA
CASTEL
DE
AEGRI TUDINE
ANIMI

Favente Summo Aulico & Corporis
MEDICO,
Consejlo Imperij Medicorum Ordinis
in Per-impet. Aulicorum Tubingen.

RESIDE
DR. ELIA RUDOLPHO
CAMERARIO, Ph. & Med. D. ac Prof.
Publ. Ordinatio, Facult. h. & Decano, Consiliario
& Aulico Tubingen.

Publico Philanthropico Examinato
Tubingen

ERNESTO JOSEPHO SIEGEL Auctori

In Auditorio Medicorum
Die Martii
Honoris Antiquitatis

TUBINGEN
Typo MARTINI ROMMELI

Assess. M. DE VITTORE



Σὺν Θεῷ.

C A S U S.



æmina 34. annorum, modesta, morata, optimæ famæ, vultu pallido-plumbeo-fusco, capillis asperis nigris, habitu corporis gracili, macilento, artubus siccis, duris prædita, accedit *Medicum* conquerens, se nonnunquam imò crebrius obrui subita & vehementi anxietate, tristitia, timore, mœrore, metu cujusdam imminentis mali, non rarò ad gemitus, suspiria, lachrymas usque, paroxysmo tali vagis temporibus, modò brevi, modò longiori intervalla corripì, petens contra hunc, ut Ipsa illum haberet, morbum debita medicamenta. *Medicus*, ut causam tristitiæ Ipsi ad reticendum obstricto revelaret, rogat tanquam necessarium ad curationem instituentem, cui sanctè testatur firmiter asseverans, se nullam nosse aut excogitare posse causam, gaudere enim Conjugio pacato, suavi, alere tres liberos obsequentes, rem familiarem non esse curtam, uno verbo, quà singula extranea talia, vivere contentam, nec ullum se sentire crimen, nullum prævidere malum, quod internè animum torquere valeat. *Regerenti Medico*, sæpè Melancholicos nihil habere revera, quod fatigare illorum animum deberet, imaginari tamen illos hoc vel illud turbans mentem, absque tamen veritate & fundamento, respondit, nihil se neque verum, neque

que apparens, neque existens, neque imaginatum posse dicere, quod causa illius angoris, mœroris & metus sit; Imò se optimè nosse, nullam adesse causam, & hinc sibi ipsi quasi indignari, sed se tali tempore tristitiam talem meticulosam, etiamsi velit, abigere non posse. *Sciscitans* Medicus de ulterioribus molestiis, sive *præcedere*, sive *jungi*, sive *subsequi* dictam mœstitiam solitis & aliis scitu necessariis percepit, aliquando satis sanæ subitò turbari caput, gravitatis pondere premi, levem vertiginem cum quadam oculorum tenebricositate adoriri, brevi imò mox accedente accusata anxietate, aliquando hanc præcedere cardialgiam, compressionem præcordiorum, dyspnœam, aliquando tormina à ventriculo ad umbilicum, aliquando ponderis sensum in sinistro hypochondrio, aliquando perturbationem momentaneam totum corpus pervadentem: Jungi (præter nonnunquam quædam ex modò dictis) anorexiam, sensum maximi ponderis præcordia gravantis, cordis palpitationem, spiritum quasi alligatum nè sursum emittere valeret, tarditatem, pigritiam morosam in actionibus, in motu. Subsequi, cessantibus his, lassitudinem. Alvum esse tardam, menses ordinario tempore fluere, sed jùsto parciori quantitate: Frequenter & ordinariè assumi cibos crassos, minùs salitos, fumo induratos, intermissam esse per quadriennium familiarem alias verno tempore corporis per medicamentum assumptum purgationem. Urinam deprehendit tenuem albam, aliquando sedimento rubro instar farinæ laterum ex ægræ relatione scatentem. Extra talem paroxysmum ad actiones quandam tarditatem, non pigram, sed morosam, a versabundam, animi dejectionem, non tn. nimiam, cætera nihil p. n. adesse audit. *In Paroxysmo* vocatus Medicus observavit præter recensita insignem vultus pallorem, oculorum fi-

xorum quasi opacitatem, maximam lassitudinem, anxietatem jactabundam, lachrymas, & pulsum tardum. Mox exhibet *Theriac. cœlest.* gran. iij. & seqq. *Mixtur.* sæpiùs tantum quantum 2. 3. cochlearia capiunt.

Rx. *Aq. meliss.* ℥iij.

cinam. bugl.

Syr. meliss. ana. ℥ß.

M. d. ad vitr. Extrema calidis asperis pannis *fricari*, simul bono animo esse jubet, promittens, molestiam hanc per DEI gratiam non diu duraturam, nec vitæ periculum allaturam. Subsecutus sudor finem imposuit paroxysmo. Residuam inde molestiam *Electuario* sæpiùs quantitate castaneam æquante assumpto dispulit, ex *cons. bugloss. nuc. Ind. cond. & confect. alkerm. incompl.* Ut verò tales *precaverentur*, *avertentur paroxysmi* suavit, post præmittendam purgationem & V. Sectionem, continuationem per mensem seqq. medicamentorum:

Rx. *Rad. bugloss.* ℥ß.

Lign. Aloës ℥j.

Sal. hyperic. ℥ß.

croc. orient. ℥j.

corn. alc. phil calc. ℥iij.

Tab. manus Chr. perlat. ℥vj.

Dos. manè & vesperi ℥ß. c. seqq. *Mixtur.* 4. cochl. quant.

Rx. *Aq. fumar.*

hyperic.

scorzon ana. ℥ij.

Syr. byzantin. ℥vj.

M. d. Bihorio à pulveris assumptione *juscul. recentibus foliis meliss. nasturt. aq. flor. bugloss. & rad. scorzon. alterat.* ad ℥iij. v. vj. Simul injunxit, ut ab illis solitis *abstineret* cibis, alvo tardiori opponeret *Enemata domestica.* Durante dicto-

rum usu nullus invadebat paroxysmus, cessante verò levis unus & alter. Induciis ergò naturæ à medicamentorum exhibitione aliquandiu concessis, *Dainacenses* suavit *Acidulas* Medicus pro summa dosi, ascendendo ad illam sensim, tempore matutino hauriendas ad ℥ ij ℥. vel iij. per dies 12. 14. vel 16. Quibus ritè observatis Deus benedixit, ut diu jam laudata Foemina ab istis angoribus & metu, à medicamentorum itidem præter vernam purgationem & venæsectionem usu, libera viveret, excepto, quod temperamentum, ut vocare solent, melancholicum retineret.

P R O O E M I U M.

Passiones seu pathemata animi quantas in corpus humanum habeant vires, quivis, potissimum Medici, experiuntur quotidie. Non causæ solum rationem frequentissime induunt, sed & tanquam actiones læsæ Medico curandæ sæpius offeruntur. Theorema est, ut Charleton Anglicus loquitur, sanè haud paucis iisq; gravissimis difficultatibus involutum, & cujus cognitionem, ceu mentis humana captui minus obviam, non sit promptum attingere. Quippe, licet effrenos & insaniam finitimos Perturbationum animi tumultus, in nobismet ipsis frequenter nimis experiamur, velutique in intimo pectoris excitatos persentiamus; licet omnis Philosophiæ Moralis dignitas ususque in eo potissimum consistit, ut homines erudiat, quomodo possint harum excessus ac exorbitantias, ne degenerent in vitia, compescere & moderari, licetque è Philosophis vel præstantissimis complures ingenia sua summo opere exercuere, quo earundem tum causas proximas, tum primarias differentias particulatim enucleateque explicarent; tantum etiamnum absumus tamen à clarâ, demonstrationumq; certitudine munitâ illarum Theoria, quàm si nihil omnino ad naturam nostram spectarent; quàm si assiduus virtutum cultus subsidii ne minimum quidem contra earum impetus ac furores nobis suppeditaret; quamque si nemo mortalium de eis quid unquam scriptis prodidisset. Singularis tamen cujusdam Passionis propositum casum, ab Excell. Dno. Præside mihi benevolè communicatum, quia tales non infrequentes sunt, exponere quâ Ideam, subjunctum,

Etum, causas, symptomata signa & curationem, & pro *Exercitio Disputatorio Philiatorum* Examini submittere placuit. *Fave DEUS Benignissime, quies Verus vera Latitiae Fons!*

T H E S I S I.

IN *Ideam* hujus affectus certam & determinatam inquirenti non semel turbatus animus, ad ægritudinem, agitationem adactus fuit, tandem tamen sequentem formaturus Medicæ & utilitati & veritati litare mihi videbar. *Ægritudinem animi* dico, quia passio, pathema, affectus animi est, quæ comprehendere potest & solet sollicitudinem, tristitiam, dolorem, afflictionem, ærumnam, luctum, mœrorem, lamentationem, fletum, ejulatum, timorem, metum, anxietatem &c. Quorum singulorum nonnunquam genus, nonnunquam conspectum dicit. Voco. *p. n. em*, quia non solum symptoma actionis læsæ, sed & à morbo interno, à causa morbifica *p. n.* oriundo oritur. Novi, ægritudinem talem, tristitiam, metum &c. *Non-naturalium* rerum classi inferi, causas mediatas constituere ex communi Medicorum placito; at tunc est præter alium & diversum considerandi modum *diversitas* in eo, quod non ut hic ab interna causa, sed ob externum objectum oriatur. Tristitia quæ adest, non levis est, ut non raro cujusvis cælum microcosmicum serenitate aliquantum destituitur, sed subita & *vehemens* symptomatibus stipata gravibus.

II.

Melancholia communissime talis affectus dicitur, & tales absque causa externâ angores ad illam referri solent. Verum etiam si Melancholiam tanquam humorem, tanquam causam consideremus, non generaliter accipiamus eam, prout omnem desipientiam, omne delirium, Phrenitidem, Paraphrenitidem, Maniam Hydrophobiam, Lycanthropiam, amorem insanum &c. comprehendit, sed specialiter, quo in sensu distincta à Phrenitide Mania &c. est. Melancholia dicitur à Medicis plerisque imò omnibus delirium, circa phantasma unum & alterum falsum cui firmiter inhærent ægri. Infinita autem est illorum, circa quæ errabundi versantur varietas; Recenset varia *Camerarius Præsidis Avus Syllog. Memorabil. Cent. 8.* postquam

plurima enarravit *Primus S. R. I. Academiae Laudatisß. Nature Curioforum Præses B. m. de Cæruleo & Chrysocolla* à p. 1. ad 40. tandem subjungit: *Timent carceres, supplicia, extremum Judicium & condemnationem eternam, nescio quæ scelera se commisisse imaginantur, cælum ruiturum metuunt, odio habent homines, amicos, & familiares averfantur, & ad eos interficiendos commoventur, quæstamen intime amant, ad maritum confodiendum impelluntur: Sunt Blasphemi erga DEUM, ad abnegandum DEUM incitantur, suspiciosi & diffidentes sunt, falsas & varias habent suspiciones, Demones ab inimicorum præstigiis sibi immisos esse; venenosum Pharmacum accepisse suspicantur; deserta loca appetunt; solitudines captant; ab hominum consuetudine abhorrent; in angulis domorum & latebris se occultant, ad sepulchra mortuorum hesitant, nescio de quibus morbis corporis conqueruntur, murmurant; loquaces sunt, & vix volunt tacere, lachrymantur, cantillant, rident, divina affectant, & colloquia c. DEO & Angelis somniant c. Dæmone loqui putant, Demones cernere asseverant, avari nihil nisi de divitiis cogitant & pecuniis congerendis, elati & superbi vel de preciosis vestibus, auro & gemis, cogitant ac loquuntur, alii contra animo abjecti, licet divitiis abundant, de paupertate conqueruntur; alii de studio, quo sunt delectati, perpetuò cogitant ac loquuntur; Sacerdotes semper preces murrant, templa construunt, qui contentionibus forensibus insudaverunt, nihil nisi arresta & libellos supplicatorios scribunt & recensent; alii Poëtico furore perciti, semper versus scribere volunt: quidam semine abundantes, & ad Venerem propensi annosas mulieres depereunt, vel semper de amore loquuntur. Tandem quidam desperabundi, vitamque exosi sibi metipsis manus violentas injiciunt, sibiq; mortem inferunt. l. globulo sclopetario se lethaliter vulnerando vellaqueo gulam sibi frangendo, fauces cultro sibi abscindendo, proprio gladio vel cultro se confodiendo, venenum hauriendo. Hic verò ratiocinatio depravata non est, si accurate loqui velimus, neque enim circa ullum errat objectum Ægra, sed ratiocinatur, judicat, omnia prout sunt & revera se habent, invita contristatur absque ulla etiam imaginaria causa. Inhærent firmiter Melancholici uni aut alteri phantasmati aliquando pluribus, imò placent sibi in suis falsis imaginationibus & in media deliriorum infelicitate plerumque animi tranquillitatem sentiunt, nostra autem Ægra de anxîa mœstitiâ & meticulosa conqueritur, sed absque tranquillitate, potius cum invita animi turbatione, jactatione.*

Nul-

Nulla hîc mali five præsentis, quod tristitiam, five imminētis, quod metum parit, oblatio, perceptio. Nullum hîc phantasma tenebricosum, neque ab extra communicatum ob amissum bonum gratissimum desideratissimum, absque spe recuperandi, ob vindictam dene-
gatam, ob imminens malum absque spe averſionis, aut alia externa, neque ab intra suscitatum, ortum & animo oblatum. Dicit qui-
dem, *Paulus Medicus* è *Veterum* cohorte non incelebris, metuere, tri-
stari omnes Melancholicos, nec si roges eos, quamobrem mœ-
reant, causam reddere posse, imò sine causâ omnes mœstos dicit
Galenus. Verùm sine causâ verâ, realiter præſente, non verò sine
causâ imaginariâ, ut nostra *Ægra*. Melancholiâ ergò in communi
Medicorum sensu acceptâ nostram ægram laborare dici non potest; si
verò Melancholiæ nomen cui placet, illa hîc est, sed absque delirio,
prout & *Hippocrates* talem affectum de virgin. morb. c. j. t. 6. timo-
res vocat. *Straussius* in *Palæstra Med.* scribit: Metus iste, mœrorq, nisi
delirium accesserit, Melancholiam non constituent. *Paulus Zachias*
Quæst. Medico-Legal. l. 2. t. 1. quæst. 21. de ista controversia, an Me-
lancholia sit aliquando sine delirio, hæc habet: *Amatus Lusitanus* Cent.
4. *Medic. cur.* 54. & ex eo *Forest.* lib. 10. observ. 11. in Scholiis tradidit,
quod tametsi hæc passio, Melancholia, ac desipientiæ species existat, tamen
satis est ad hujus passionis, sententiam, ut ad eum sequatur mœror & mœ-
stitia, & timor à facili causa; & interdum mentis inconstantia: qui-
bus plerique Medici assentiuntur. *Mercat.* libr. 1. de int. cur. cap. 17.
Trincavell. lib. 3. consil. 35. Videtur ergò, quod non necessario, ac sem-
per, cum hac passione jungatur delirium; imò narrant illi casus non-
nullos *Hypochondriacorum*, qui nunquam patiebantur mentis alienatio-
nem; manifestius verò *Marcell. Donat.* lib. 4. *Histor. mirab.* cap. 6. con-
tendit, non esse de essentia hujus passionis mentis alienationem, & *Manar-*
dum erroris notat, qui libro 17. *Epist.* 1. noluerit agrotantem quendam Me-
lancholia *Hypochondriaca* laborare, eo quod nunquam desipuisset, contra
existimantibus cæteris Medicis ad curam convocatis, sed profectò, ut apud
eundem *Manardum* videre est, Scriptores omnes Melancholiam defi-
nientes, desipientiam esse ajunt sine febre. Pro conciliandis verò Aucto-
ribus inter se dissidentibus, dicendum cum *Sennerto* lib. 3. præct. part. 5.
sect. 19. & alibi, differre omnino affectionem hypochondriacam à Melan-
cholia hypochondriaca, cum Melancholia hypochondriaca sit species quæ-
dam affectionis, aut passionis omnis hypochondriacæ, & affectio, in-
quam

quam hypochondriaca sit absque dubio sine ullo cerebri vitio, & absque eo, quod Mens ullo modo depravetur, si tantum modò mœrorem, ac tristitiam absque evidenti causa excipias; Melancholia verò hypochondriaca semper est cum aliquo delirio, alias autem forti. Ex his ergo dicendum, omnem Melancholiam hypochondriacam esse quandam passionem hypochondriacam, non tamen e contra omnem passionem hypochondriacam esse melancholiam hypochondriacam. Et sic quodocunque aliquem dicimus simpliciter esse hypochondriacum, vel dicimus eum pati affectionem hypochondriacam, nunquam talem delirare intelligimus: sed cum aliquem Melancholicum Hypochondriacum vocamus, vel illum Melancholia Hypochondriaca affici dicimus, tunc talem pro delirante ex Hypochondriorum vitio accipimus, & in hoc procedent ea quæ in aliis delirantibus, ut diximus; nam in cæteris Hypochondriacis nulla delirii suspicio emergit. Dices autem: Tristatur Ægra tanquam adesset malum præsens, quod non est, metuit ob malum quasi imminens, sed nullum tale offertur: E. delirium adest. Respondemus: Ratiocinatur debite, imò ipsa credit, nihil metuendum esse; non E. depravatè ratiocinatur. Delirium autem propriè loquendo est, cum imaginationi depravatæ consentit animus. In primo & leviori Melancholiæ gradu non raro etiam abesse solet delirium, certum aut insigne, solummodò vel adesse amor solitudinis, ut cum aliis conversationem societatem inire aut familiariter vivere ipsis talibus Melancholicis grave, imò tandem impossibile sit. Sed nec hoc de Ægra nostra dicere licet. Simulatio hîc nulla adest, qualis aliàs quibusdam Melancholicis satis familiaris esse solet; Et licet non omnino simulent morbum quidam Melancholici, tñ aliquando graviora periculosiora censent, quereli dicunt esse symphomata, quam sunt, de tali Epigramma est elegans:

Quando lubet sanus, quando lubet, Optile, es ager:

Venter, ais, ventis; frigoribus stomachus,

Splenq, Melancholia, plerumque caloribus hepar,

Quæso etiam hoc addas; phantasisque caput.

Sed simulationes tales abesse non solum Ægræ relatio, sed & observata à Medico docent.

III.

Est ergò Hic Affectus *Actionis læsæ, imminutæ, abolitæ symptoma*, vigoris nimirum actionum alacris, & serenæ animi tranquillitatis quæ

quæ naturaliter adesse debent. Est & *depravata*, licet enim imaginatio non peccet circa certum, aut dicibile, ut ita loqui liceat, objectum, tamen causa dicenda in spiritibus & sanguine hærens objecti mali præsentis & imminētis vices agit. *Instabit* Quis: Quæ hæc novaturiens singularitas? Est affectus hic suffocatio hypochondrica. Respondemus: Symptomata pleraque communia tali suffocationi sunt, quod concedimus, primaria verò quæ hîc sunt, tristitia nimium, metus, c. gemitibus, suspiriis & lachrymis suffocationi tali essentialia aut necessariò consequentia non sunt.

IV.

Subiectum est Cerebrum: Hoc enim percipit, dijudicat objecta, quam perceptionem animi sequuntur passionēs. Hic quidem, ut dictum, non adest objectum neque verum, neque imaginarium, quia tamen afficitur eo modo, ut malum præsens & imminens videatur, licet, invita illa, quo aliàs, cum à Phantasmate quodam afficitur, liberum ipsum pronunciare non possimus. Est & Cor: hoc enim à passionibus animæ variè afficitur, à spirituum conditione & affectione determinata varia in varios agitur motus, hîc potissimum contrahitur, angustatur, deprimitur. Solam cordis coarctationem, sanguinis circa illud stagnationem, tardio rem motum, spirituum vitalium ibi expansionem impeditam dictam ægritudinem producere posse, adeoq; solum Cor subiectum qui regeret, perpendat, talem coarctationem, stagnationem, impeditam expansionem sæpius adesse, absq; tamen descripta meticulosa anxia tristitia. *Causale Subiectum* in nostra ægra est diversum, modò cerebrum, sed alio quàm modo dicto respectu, cum spiritibus animalibus, modò ventriculus, modò intestina, modò M. S., modò cor, ut in causarum enodatione patebit.

V.

Ægritudinem hanc *cudit Spirituum animalium opacitas, ad expansionem ineptitudo, densitas, obscuritas, fuliginosa tenebricositas, fumida obnubilatio, stricta depressio, & Sanguinis crassities, terrestritas fixitas, aciditas*. Spirituum existentiam contra Quosdam asserere & vindicare hîc non allaborabimus. *Professor Medicus Erfordensis* scribit: *Illæ, quæ spiritus natura negant, ipsæ sine spiritu sunt. Spirituum Animalium* singularis est crasis, propria textura, ad quam & requiritur lucidus vigor, tenuis volatilitas, ad liberam expansionem dispositio, mobilitas debita, agilitas, puritas splendida, radians tenuitas,

serenitas vivida, lætus nitor, transparens subtilitas. Quo statu si gaudent, animæ in ministerio debite inserviunt, suo rite funguntur officio, expandunt, vibrant suos quasi radios per cerebrum non solum sed & totum corpus, unde serena animi tranquillitas, actionum vigor. Sin obnubilantur, deprimuntur, obfuscantur, dejiciuntur, supprimuntur, turbatur illa tranquillitas, alacris perit vigor. Maxima est, ob nexum utriusq; animæ in corpus & corporis in animam vis. Hinc morbo corpus hoc vel illo modo detinente, animæ propriæ functiones languent, vicissim anima hoc vel illo pathemate affecta, mox corpus in actionibus suis variè turbatur. Potissimum verò spiritus animales sunt, qui vario motu varias cogitationes excitant, & è contra à variis cogitationibus in varios motus aguntur. De spirituum crassitie, densitate, & obscuritate seqq. tradit *Wirdig. de spiritib. l. 2. c. 1. v. 4. §. 6.* Spiritus spiritu crassior est, spissior, densior, obscurior. Sicut atmosphaera interdum crassa est, compacta, spissa, densa, interdum extensa magis & dilatata, subtilior, majusq; occupans spatium: eodem modo etiam spiritus. Non spiritus tantum crassi sunt, & eorum lux debilior, sed ipse etiam sanguis crassior est & in motu suo tardior. Spirituum densitas eodem ferme recidit: densi v. gr. fiunt spiritus, quando extrema deserunt, ad interiora refugiunt, seseq; ibi quasi concentrant, talis condensatio fit & concentratio in consternatione, metu, pudore, occursum rerum formidabilium, in febrium horroribus, in agone. Non secus ac Vini Spiritus in dolio vini frigore congelati sese contrahit, & in medio concentrat, ita spiritus humani ad occursum rerum formidabilium hostilium sese contrahunt, comprimunt, condensant, obscuritate laborant, quando lumen eorum ex parte deficit & imminuitur, qualis deprehenditur in morbis, qui conjuncti sunt cum mœroribus, angoribus, anxietatibus, timoribus, luctu. Hinc spirituum tenebricositate dicuntur laborare Melancholici, qui tristes semper sunt, meticulosi, sanguinemq; habent nigricantem, urinam & dejectiones lividas, quæ omnia indicant, & insinuant spirituum obscuritates, quibus debitum deficit & sufficiens lumen & ignis.

VI.

Hypothesin de naturali spirituum animalium luce, eorundemque tenebricosa obscuritate, timoris mœroris causa non *Averrhoes* solum, sed & non pauci *Moderni Celebres Medici* evertere conantur plures ob rationes, quas inter sequentes: 1. Lux est perceptio oriunda à pref-

pressione facta à radiis solaribus in capillamentis nervi optici, in cerebro autem non sunt oculi, non adsunt ibi humores, in quibus refringuntur, nulla ibi radiorum solarium pressio. 2. Inter spiritus & radios solis nulla est similitudo. 3. Mens ratiocinans nihil habet cum luce vel tenebris. 4. Nigra interdum meticulosos timidos non reddunt. 5. Ex hac hypothese sequeretur, colorem esse morbum. 6. Nullos cæcos hilares esse. 7. Cerebrum per lucem suas exere re operationes. 8. Affectus positivi causam in sola privatione consistere. 9. Sanguinem sua luce lætitiā inducere, &c. *Verum* hanc *Galenī* (à cujus doctrina, ut aliās de se circa hæc dubia scribit *Pulverinus Medicus Neapolitanus Practic. d. morb. partic. c. 5.* nè latum unguem discedere, nos non profiteamur,) & *Aliorum* hypothesein (Hypothesein, inquam, quā meliorem clariorem Alii hactenus non posuerunt) junctis aliis, prout explicuimus hactenus, stare seqq. *Responsiones* monstrabunt: Ad 1. Ponatur illa lucis definitio; Est hæc lux externa: Annon percipi tale quid, licet non hoc modo, in interioribus à quibus magis movemur, quàm exterioribus potest? Transparens subtilitas est illud spirituum animalium attributum requisitum. Nec sola Lux, sed & alia à nobis proposita sunt adjuncta. 2. & 3. Negamus. Ad 4. Suppositum non semper verum est, & posito hoc: Negatur consequentia ob *Responsionem* ad 1. datam. Ad 5. Utique color est morbus. Ad 6. *Resp.* quod ad quartum. Ad 7. Utique inter illa, quæ ad peragendas cerebri & spirituum animalium operationes requiruntur, lucidus nitor est. Ad 8. Tam absurdum non esset hoc dicere, sed non tam ista obscuritas obfuscatio est privatio lucis sola, quàm obscurior color realis, ut *Bartholin.* loquitur, vaporibus adustis immixtus. Ad 9. de spiritibus & de sanguine quis negaret? De Luce Spirituum vid. plur. apud *Wirdig.* p. 62. & seqq. *Th. Bartholin.* d. luce animal. p. 146. & seqq. ubi & *Francisci Aquilonii* Opticorum, ut vocat, primi sententiam & rationem exponit. *Wedel. Physiolog.* l. 2. c. 6. §. 4. Venustas, vigor, splendor totius vultus, lumen in oculis sanorum renitens certè in cachecticis absunt. Spiritus autem animales semper intelliguntur vivi, id est, animati.

VII.

Sanguis non contradistinctus spiritui vitali, sed cum ipso, (absque hoc enim sanguis non est, sed cadaverosus cruor.) particulis variis constat, quæ amicè & harmonicè conspirantes actionibus cor-

poris nostri vigorem, animo lætam tranquillitatem largiuntur. Hæc si harmonia soluta degenerant, balsamicæ spirituosæ, blandæ subjugantur, deficient, crassæ terrestres fixæ acidæ copiosiores sunt, aut prædominantur, tùm metus, mœror exurgunt, tarditas actionum &c. sequitur. *Broen cum Cartesio dicit: Quandoque possunt passiones effici ab actione ipsius animæ sese determinantis ad hæc vel illa objecta concipienda, quin etiam à solâ sanguinis dispositione aut etiam impressionibus vel vestigiis quæ casu occurrunt vel aperiuntur ipso in cerebro, quemadmodum accidit, cum nos aliquandò ita vel letos vel tristes sentiamus, ut causam istius lætitiæ aut tristitiæ nequeamus assignare; sed objecta tamen illa externa, passionum sunt causæ frequentiores magisque principales. p. 117. & seqq.* In nostra Ægra neque objectum externum, neque ab anima sese sola determinante, neque ab impressionibus aut vestigiis quæ casu occurrunt, sed à sanguinis dispositione oritur illa passio. Ceu enim illa tristis passio & meticulosa imperium habet in sanguinem, ita vicissim, quia hîc similis est sanguinis dispositio, animus contristatur, metuit.

VIII.

Diætas umbras, opacitatem, tenebras offundunt, densant, expansionem impediunt spirituum, sanguinem incrassant, figunt in hoc Casu quæ *consistentiam* & Spirituosa, five Vaporosa, & Humorosa five Liquida. Spiritus nimirum vitalis, varii vapores halitus, flatus p. n. ferum, liquor gastricus, liquor è glandulis intestinorum extillans, succus pancreaticus deviantes, alique p. n., dum peccant, dum lædunt, *Quantitate nimia* dicti flatus & humores p. n. *Qualitate*, Spiritus & vapores p. n. & succi illi aliàs naturales sed degenerantes & alii p. n. crassitie; aciditate, terrestri fixitate. Prædominantur crassæ, acidæ, terrestres, fixæ; balsamicæ verò tenues particulæ deficient, aut subjugatæ depressæ sunt; tartareas, sylvestres, salinas particulas, adesse à saturninis prædominantibus salibus mercurii sublimationem infici dicunt Alii, re non differentes. Accusamus sanguinis, & succorum naturalium particulas acidas terrestres, tales n. a core suo, acerba austeritate sanguinè coagulare, concentrare, sulphureas, balsamicas ejus vitales particulas obtundere, salinis volatilibus alas demere, detinere, frenum injicere, expansionem impedire solent & valent. Accusamus fixas, non intelligendo tales, quæ in igne fixæ sunt, sed quæ in corpore humano, (nam differunt) & quæ figunt, non tamen motu semper destituuntur

tuuntur ipsæ ; crassas, si non semper quâ consistentiam, tamen increassantes. *Motu imminuto* in hoc casu, licet in Melancholicorum uno & altero casu aliàs orgasmus spirituum & sanguinis accedat ; & *Loco.*

I X.

Vapores flatus illi, Liquores p. n. Spiritus inficientes, obfuscentes densantes pro *fonte* agnoscunt Totam Massam Sanguineam in hoc casu, quæ non debite generatur, non debite depuratur, modò cordis, modò lienis, hepatis, cerebri, glandularum, ventriculi vitio, per circulum ab his non debite elaborata, & illas ab officii vigore dejiciens, dicto enim modo ob depurationis defectum inquinantur spiritus tam vitalis quàm animalis, & vicissim partes dictæ ob spiritus inquinatos, degenerantes in suo impediuntur officio, ut hinc pateat, quî in hac ægra affectæ fuerint corporis partes *spirituosa, vaporosa, humorosa, solida.* *Suum* & huc contulerunt *symbolum temperamentum* melancholicum dictum (quod vultus, capilli, corporis habitus, artus ficci, duri, passionis, mores, victus genus, menses, alvus & ipse hic affectus cum aliis in Historia recensitis docent,) sive particulæ acidæ fixiores acriores, terrestriores in sanguine prædominantes præ balsamicis blandis volatilibus, *sexus* muliebris, *habitus corporis* gracilis, *cibi* crassi, nimis saliti, fumo indurati, *alvus* tarda, *menses* parci, *verni purgantis* familiaris intermissio, accusatos flatus & humores partim generando, partim cumulando, partim movendo.

X.

Obijcienti: Aut accusata inquinamenta, sive vaporosa sive liquida spiritus animales & sanguinem semper inquinant, aut non: Si *prius*, non intermittens paroxyzans sed continuus erit hic affectus, quod non est: Si *posterius*, quæ causa tam subitæ tam vehementer lædentis impuritatis, crassitie, obscuritatis, fixitatis, aciditatis? *Respondemus:* Sanguini per se ex dictis causis fixiori, succis aliàs naturalibus jam ad aciditatē declinantibus modò in capite, modò in ventriculo, modò in intestinis tenuibus, modò in ipsis vasis sanguineis, modò in corde occurrunt aliæ particulæ congregantes variè cum istis, istam crassam aciditatem, fixam terreitatem subito augentes, miscentes, fecerantes, educantes, ut sui Juris fiant, quæ tam vaporis quàm liquoris forma per vias ordinarias tamen subitum transitum concedentes, (quod phænomena quotidiana monstrant) spiritus animales mox increassare obfuscare solent. Quid enim secretio particu-

larum antea implicitarum, sub jugo detentarum valeat, suo jam tempore monuit *Hippocrates*. Spiritum vitæ naturæ volatilis ac penetrantissimum à mitioribus separatum spiritus animales, terrestres, ferinos, fixos, fuliginosæque suâ nigredine obscuros reddere, tristitiæ & metus causam, *Paracelsus* dicit.

XI.

Ex causarum ita expositarum pensitatione facile est reddere *illorum de quibus agra conqueritur, rationem*. Subita vehemens anxietas, tristitia, timor, mœror, metus imminentis mali obruit, pallet vultus, oculi opaci apparent, anxietas jactabunda, lassitudo, pulsus tardus adest, quia spiritus animales, qui tenui volatilitate, transparenti subtilitate, lucido nitore, vigore, serenitate præditi alacritatem actionum, hilaritatem tranquillam animi, corporis vigorem, vultus vividum colorem, oculorum serenitatem, spiritus facilitatem producunt, dictis istis orbiati, densi, fixiores, obscuri, opaci, tenebricosi sunt, per nervos non debite partibus advehuntur, in motu tardiores sunt, vasa sanguiveha contrahunt, stringunt, ut sanguinis motus impediatur; quia sanguis crassus, acidus terrestris non solum suâ volatili spiritus ascensu orbatus est, adeoque in motu intestino impeditur, sed & in motu locali suos pati cogitur compedes unde vigor & corporis & animi perit. Gemitus adsunt & suspiria, quia pulmonum vesiculæ & vasa justo angustiora à spirituum dyscrasia, sanguine crasso reddita aërem inæqualiter expellunt nec liberè sed subinde cum impetu admittunt; Lachrymæ oboriuntur, quia spiritus detenti concentrati rivulos hos, ut loquitur *Wedelius*, fluere faciunt. Cum ex dicto congressu auctio, secretio, explicatio, eductio in prædominium talis sanguinis crassioris spiritus obfuscantis contingit in *capite*, præcedit ejusdem turbatio, gravitatis pondus, vertigo, oculorum tenebricositas: Si in *ventriculo*, prius sentitur cardialgia, præcordiorum compressio, dyspnœa; Si in *intestinis tenuibus*, potissimum *duodeno*, prægrediuntur tormina: Si in *liene*, ponderis sensus in sinistro hypochondrio, (qui alius ab isto dolore, quem lieni, sed perperam, cum sit in intestino colo, adscribere solent:) Si in *corde*, in *vasis sanguivehis*, momentanea perturbatio totum corpus prius pervadit. *Anorexia* adest, quia liquor gastricus quidem acidus, sed justo fixior, non debite spirituosus volatilis tenuis est, ipsæ etiam fibræ ob spiritus per illam ægitudinem distractos stimulum non percipiunt;

piunt; *Gravi pondere* premi videntur *præcordia*, *palpitat cor*, quia sanguis crassior tardius ibi movetur, ferè stagnat ibidem, spiritus animales diaphragma nervos & musculos respirationi dicatos non debite actuant, in contractionem crispationem agunt, cordis debita expansio impeditur, liquores in ventriculo in flatus acti ipsum distendunt, quæ & causa cum priori in inferiorib⁹ detentæ & in ascensu *impeditæ respirationis*; Actiones, motus *vigore* suo, alacritate prompta *destituuntur* ob denegatum spirituum animalium ex causis, dyscrasia nimirum & textura perversa dictis, vigorem, undè & illa *Lassitudo*. *Urina* modò exhibet particulas sanguineam Massam inficientes cribri & fermenti renum beneficio segregatas, modò iisdem destituitur. *Tarditas illa*, *alacritas deficiens*, dejectus aliquantum animus nondum tamen in p.n. statu, Temperamento, ut vocant, melancholico præditis familiaris est ex rationibus dictis. *Memoria* vero & *Judicium* hîc *viget*, quia ad Melancholiam proni ingeniosi communiter, constantes in uno, & firmiter cogitationi inhærentes, etiam dum non falluntur, sunt.

XII.

Hæc ergo *Ægritudo animi* est *Passio timoris & tristitiæ orta à spirituum animalium densa opacitate & sanguinis fixa aciditate sine phantasmate tenebricoso variis stipata symptomatibus*.

XIII.

Signa Affectus jam exposita sunt. *Causam* accusatam detegunt causæ prægressæ modò dictæ, tam efficientes, quàm materiales, symptomata dicta tam actionum læsarum, quàm mutatarum qualitatum ac excretorum & retentorum. *Discernitur hæc Animi Ægritudo* ab aliis animi affectibus, ab aliis ad actiones ad motum tarditatibus ipso illo angore, mœrore, metu; à Melancholia, ut diximus, quòd hîc phantasma neque ab extra, neque ab intra advenerit, cui inhæserit firmiter *Ægra*.

XIV.

Prognosticon, in hoc affectu, quia intermittens, melius est, quàm si continuus esset, tamen pertinacem ipsum *Idea* sive proprietas ipsius dicit; Prout autem Medicus illud apud se formavit, tam bonum non fuit, quàm delineatum ægræ, transire enim tales redeuntes sæpè paroxysmi in melancholiam continuam, difficilem, impossibilem curatu, transire in hydropem, dysenteriam, spasmodicos

varios

varios motus, epilepsiam, apoplexiam, &c. spiritus vel suffocando opprimendo, vel dissipando resolvendo mortem inducere solent. Verum *Ægræ* talia proponenda, nè ubi hæctenus causa mæsti metus nulla fuit, exinde talis oriretur, non fuerunt ex prudentia Medici, qui, sicuti nec in aliis morbis, ità multò minùs in hoc coràm in faciem periculum prædicere debet, sed omni modo spem convalescentiæ, & quidem brevi secuturæ persuadere.

XV.

In tali enim affectu pars *Curationis* est, animo mederi, quo facto spiritus per medicamenta faciliùs ad tranquillitatem serenam reducuntur, sanguis expanditur, attenuatur, in spirituaſcentiam naturalem agitur. *Timor* fiducia, speq; bonâ vinci debet, persuasionibus & promissis Medicorum familiarium faciles aures præbendo, modò Medici tales sint, in quibus egrotus confidat; audiendi quoque sunt amici, magis familiares, præsertim verò illi, permagnò à nobis æstimati: timor quoque diminuitur pravæ cogitationes expellendo, negotiumq; aut jucundum, vel etiam serium in se suscipiendo, quod tamen egroto nullam molestiam afferat, tale enim esse debet, ut cum voluptate quadam illud administret. His & similibus auxiliis tristitia quoque tollitur, ratiocinando præsertim apud semetipsum de vera mali hujus causa, quæ alia non est, quàm humor prædominans; nonne igitur homo seipsum ita gubernare potest, ut etiam humoribus suis dominetur, vel, an potius ab ipsis gubernari, & ad id magis adduci debet, ad quod inclinatur, quàm ad illud, quod recta ipsi ratio dictitat; emolumentum & damnum animo secum volutet, quod ipsi evenire potest, dum vel hujus dictamen, vel horum impetum sequitur: Tristitia enim spiritus laudabiliores consumit, totam sanguinis massam perturbat, somnum impedit, concoctionem retardat, hominem pigrum & ad quamvis bonam operationem ineptum facit, apud se, & multò magis apud alios se ipsum odiosum reddit, dum illum civili conversatione, omniq; voluptate, quæ ab aliorum consortio sperari potest, privat: sunt verba P. Zachie d. affect. hypochondr. l. 1. c. 18. Talem animi curationis speciem in talibus affectibus maximè necessariam & utilem commodè & hîc adhibuit Medicus, simul *Alteri* curationi se accingens, qua *Methodi Medendi*, sine qua cæcutiunt, qui corpus humanum tractant, regulas observavit; Opposuit enim Indicata ipsis Indicantibus, causis istis ad hunc affectum quoquo modo facientibus, hinc præscripsit, quæ particulis suis puris, sulphu-

phureis, spirituosus lucidis temperatis volatilem tenuitatem, subtilem transparentiam, agilitatem liberam, lucidum vigorem, lætumnitorem, vividam serenitatem spiritibus restitunt, quæ flatus vapores p. n. discutiunt, ipsorum mineram tollunt, corrigunt, quæ particulis suis tenuioribus, aromaticis &c. humidis sanguinem aliosque humores p. n. imminuunt, crassitiem eorundem, aciditatem, fixam terrestreitatem emendant, attenuando, incidendo, resolvendo, humectando, in spirituaſcentiam naturalem agendo, absorbendo, imbibendo, invertendo, stagnationem tollunt, ad motum promonent, incitant, è Loco p. n. removent, partium dictarum fibras fermenta sive *Archeum*, aut *texturam propriam* roborant, corrigunt, ad naturalem reducunt.

XVI.

Medicamenta, quæ præscripsit *Medicus*, suasit inductus tan frequenter eorundem per multiplicem usum observata comprobatione, quàm rationibus ex ipsorum textura & crasi depromptis. In *Paroxysmo* exhibita *Theriaca cœlestis*, quæ propter confortativam alexipharmacam, diaphoreticam & hypnoticam vim valdè commendatur, simul & laudatur in effumationibus atrabilariis à Dnn. *Archiatris Würtembergicis*: *Aq. & Syrup. Melissæ*. Illam enim *Avicenna* scribit in genere conferre omnibus aegritudinibus phlegmaticis & melancholicis; in specie verò lib. de viribus cord. tract. 2. cap. 3. p. 338. vers. 10. ob aromaticitatem & subtilitatem apertivam, & stipticitatem, quæ in ea est, proprietatem mirabilem, latificandi & confortandi cor, ei inesse affirmat, docetq; habere naturam leniter solutivam, ita scilicet, quod sufficiat ad solvendum à spiritu, vapores melancholicos, & sanguinem qui existit in corde. Eò res redit, & hæc veluti summa est, valdè *Melissam* contra *Melancholicos* & cordis affectus ab *Avicenna* & *Arabibus* commendari: cujus facultatis ne apice quidem *Græci* meminere; quam prioris seculi practici *Medici*, ut sunt: *Fernelius*, *Rondeletius*, *Forestus* Aliiq; adversus recensita mala maximo nobis commendarunt opere, quos complures hodiè imitantur. Quod si formulam medicamenti melancholicam refranantis expetatis, hanc accipite:

Rx. Conf. meliss. ℥j.

borrag.

bugloss. a. ℥ss.

Conf. alkerm. 3j. c.

Syrup. 5. aperientium.

*Cujus jugi usu præmissis universalibus recordor, à pertinaci melancholia virginem Dei gratia sanitati pristina restitutam; quæ insuper chlorosi laborabat. Sunt verba Simonis Pauli quadrip. Botanic. Aq. cinamomi buglossata, non solum spirituosis, tenuibus aromaticis cinamomi constat particulis, hinc spiritus mirificè reficit, suscitatur, movet, sed & continet particulas buglossæ, borraginis, violarum, rosarum, melissæ, quæ juxta tenues penetrantes resolventes activas volatiles partes etiam mitigantes, diluentes, humectantes possident. Hinc spiritus deficientes, oppressos, resolutos, dissipatos, sopitos, deviantes, nimis fixos restaurat, liberat, colligit, suscitatur, volatilizat, sanguinem cum lymphâ particulis debite activis destitutum spiritua scire facit, fibrillas partium solidarum nerveas, membranaceas, carneas, fermenta seminalia earundem roborat. Conveniunt propè *Melissa* & *Buglossa* ratione numeri seminum, *Illa* verticillata, *Hæc* asperifolia. *Frictiones* asperis pannis si fiunt, spiritus coactos revocant, avertunt, insensilem transpirationem juvant, crassitiem succorum attenuant, &c. *Nux moschata*, an mas, an femina, parum refert, oleosis aromaticis, roscidis solidis tenuibus penetrantibus particulis spiritibus vigorem, nitorem addere, sanguinem fixum attenuare, acidum corrigere, frigidum calefacere, partes debilitatas roborare, fibrarum tonum firmiorem reddere valet. *Confectio Alkermes*, quæ ex succo Kermes, è bacis cor & spiritus refocillantibus sanguinem in purpuram exaltantibus expresso, Ligno Aloes mox laudando, Cinamomo modò laudato, Lap. Lazuli contra tristitiam & metum à *Bauschio* maxime commendato, Margaritis orientalibus, & Auri foliis, utrisq; inter spiritus reficientia Physica & Moralia relatis constat; quomodo paranda, dimicantes alios videre licet, nos laudamus *Medici Collegii Augustani omni laude majoris Encomium*, quod illi largitur inquis inter alia: *Datur Melancholicis, meticulosis ac tristibus, animum quippe hilarem reddit ac reficit.**

XVII.

Extra paroxysmum præter Fol. Senæ Panchymagoga cum corrigentibus, stimulantibus & carminativis sem, anis, & crem. tartar. in aq.

aq. font. etiam decoctæ erant *Hellebori nigri radices preparatæ*, non verò *hellebori albi*, quia hæ non solum maxima agunt violentia, sed & haud rarò ex repetita Excellent. Dn. *Præsidis* observatione, cum à Medicis exhiberentur, melancholiam ad maniam deflectere fecerunt. Nec *Hellebori nigri radices*, præsertim præparatæ, tam violentæ quàm à *Veteribus Medicis* & quibusdam *Modernis*, qui in usum ex formidine non duxerunt, habentur, Experientia teste sunt. In hoc decocto diluebatur parca dosi *Conf. Hamech* ex infusis & decoctis myrobalan. citrin. chebul. Ind. rhabarb. agaric. colocynth. polypod. absynth. thym. fen. viol. epithym. sem. anis. fœnicul. ros. rubr. prun. passul. cum succ. fumi terr. & ser lact. caprin. addit pulp. cass. & tamarindor. scammon. Myrobal. rhabarb. sem. fumiterr. anis. spic. Indic. constans, nimis forsan amplum & laboriosum medicamentum tamen hætenus se probavit Practicis ut Testibus laudatis dispensatorii *Aug. Editoribus*, in morbis melancholicis quibusdam magnopere laudetur. Omissa fuere fortiora & frequentia purgantia; Optimè enim, sicut omnia, Celeberrimus *Schröckius* Patronus Æstumatissimus monet in *Helwig. obs. Schol. 99.* In melancholia hypochondriaca fortiorum pharmacorum, cathartorum imprimis usum plus officere, quàm prodesse, utique in confesso est; quod juxta cum aliis notavit in libello suo de *Melanch. Hypochondr. Johann. Freitagius* cap. 8. idque non tantum de illis, quæ naturâ suâ vehementia, sed & quæ nimia frequentia peccant, intelligendum esse, ex *Clar. Nathan. Highmori* exercit. de affect. hypoch. cap. 7. patet, ubi frequenti alvum laxantium & vomitum concitantium abusu, ventriculum debiliorem atque laxum nimis effici in *Malo* hoc scribit addens: Fortiora etiam medicamenta viscera debilitant, & calefaciunt, humoresque nimium commoventia, paroxysmum asperiores generant, atque sic in mali causam degenerat remedium. Quod sanè omnibus probè notandum foret, qui tenerioris sæpe constitutionis homines melancholicos, non secus ac si robustiores maniacos vel bruta tractarent, belluinâ suâ curandi ratione violenter aggrediuntur, & unâ eâdemque horâ vomitoriis ac venesectionibus agrotos reluctantes excarnificant. Vena secta fuit, quia quæ videbantur contraindiciantia, spirituum densitas, ad motum ineptitudo &c. sanguinis fixitas, frigiditas, pulsus tarditas &c. tanta non erant, ut superarent indicans, quod erat, sanguinis stagnatio, mensium parcitas, ut penitus abigerent

rent indicantia secundaria sive permittentia, vires, ætatem. Non solum enim sanguinem ferventem effrenem impetuosum deprimit compescit refrenat Venæsectio, sed & ~~scilicet~~ proximum, stagnantem, quietem captantem, in loco ferè subsistentem ad motum invitat, in fluxum proniorem reddit, reliqua etiam massa sanguinea, portione dempta liberius per emunctoria decurrit, suasque fœces heterogeneas deponit.

XVIII.

Spiritus roborare, suscitare, serenare, humectare, quod ubique jungendum injungunt Practici, *Buglossam* & ratio & experientia docent. Hinc accuratus virium plantarum per utrumque hunc investigandi modum indagator in *Quadripartito* laudato scribit: *Electuarium ex bugloss. earum virium fertur, ut si quis eo modo per intervalla utatur, nunquam infestetur melancholicis passionibus.* Et: *Flores sicci frequentissimè in infusis quoq; locum obtinent, in melancholicis affectibus.* Hinc apud *Plutarchum* sunt, qui *Buglossam* vino admiscunt, aut pavimentum solum rigant verbenarum adiantorumq; succis, imbuta aqua, quod hac convivis hilaritatem aliquam & comitatem parare opinantur. De *Speciebus diabuglossæ* (in quibus *Buglossa* basin constituit) scribit *Mynsichtus*: *Summa est medicina, ubi aliquis quasi ad desperationem ex nimia tristitia venit: Propterea valde efficax est contra affectus melancholicos, cardiacos &c.* Medicamentum enim est cordi amicissimum. Omnia membra, ex quibus virtutes animales & naturales manant, confortant; nec non cordis tremorem & syncopen emendant. Malas cogitationes compescunt. Solitarios juvant, bonos mores gignunt. Falsas imaginationes abolent. *Latitiam* afferunt. Huic ægræ illas non præscripsit *Excell. Dn. Præses*, quia calidiora spirituosiora valde continent, memor, observandum esse in hoc casu (quod & monet *Broen de duplici bile veterum* cap. 10. parag. 5.) à Medico medicamentis non nimis subtilibus esse usurpandum, sed talibus quæ lentè quidem, sed tamen constanter & validè in crassas sanguinis agere possunt particulas, illa enim cum nimis citò avolent nec non facile à motu suo reflectantur; celerem quidem sed nimis brevem adferunt opem imò relinquunt post se sanguinem magis terrestrem, & per consequens hominem magis tristem melancholicum, siquidem secum & alias, quibus antea gaudabant, subtiles unà abripiant, hæc verò diu in sanguine cum mancant, notabiliores

liores & constantiores edere possunt effectus : Notanda hic etiam non minus est admonitio celeberrimi Sennerti lib. de febribus 2. cap. 7. ubi dicit : in humore melancholico usurpentur attenuantia quidem, sed quæ simul humectandi vim habent ; hæc enim (humida scilicet) fluiditatem particulis crassis communicando efficiunt ut postea facilius dividantur, circulum absolvant, & ex corpore eliminantur. Lignum Aloes, five sit Agallochum Veterum, five non, nobis in usu, particulis subtilissimis, resinosis, penetrandi vi insigniter pollentibus, aromaticis, subamaris spiritus animales & vitales recreat, serenat, sanguinis terrestres particulas sublimat quasi, emendat, acidiores invertit, corrigit, solidas partes interiores, cerebrum, cor, ac viscera roborat. Crocus aroma sanè pretiosum est, oculus ille florum, (sunt verba Hertodii) plantarum gemma, pratorum gloria, & terræ ornamentum, qui ob magnas & uberes, quas in hominum commoditatem derivat, utilitates, à nonnullis per antonomasiam Aroma Philosophorum dictus est : ad coctionem namque juvandam, partes internas corroborandas, exhilarandas & cibos suavitatem suam, & colore delectabiles reddendos aptissimus semper exitit ; Et : Quis nescit ? crocum ad omnia penè morborum remedia perquam salutarem semper exitisse ? ut qui jure sibi nomen Regis vegetabilium vendicat, eodem quoq; Panacea una vegetabilis dici mereatur. Confirmat hoc ipsum Schenkius observ. med. de ven. ex plant. l. 7. f. 879. Est crocus medicina cordialis, quæ meritò tum intus, tum extra medicamentis adaptatis misceri debet, nam corroborat, & letificat. Crocus (sunt verba Hofmanni) Cordialis est, Thoracicus, unde & anima pulmonum dicitur : Cephalicus item, quare ad Melancholiam, vertiginem, phrenitidem, catarrhos &c. notabilis est energiae ac virtutis. Sed & quò magis commendatur, eò penitus imprimi velim cautelam in ejus usu : Ne quid nimis. Hypericon non quidem suo thus referente odore Dæmonem fugare, nec sub certo siderum positu collectum, spectra diabolica abigere dicimus, propter quod multi laudant, tamen non Veteres solum sed & Recentiores Rationibus & Experientia moti illud suadent optato cum eventu hypochondriacis, melancholicis, quales aliquando pro dæmoniis Quidam ob quandam convenientiam, sed perperam, habent. Sal ex hac planta ob vires tum generales cum aliis salibus fixis communes, tum speciales per experientiam observatas & à phænomenis quibusdam circa specialia salia notatis deductas,

præscriptum fuit. *Cornu Alcis* præter seminalem ob quam celebre est cerebrum & spiritus animales roborandi virtutem acidas crassas fixas particulas immutat, absorbet, invertit. *Tabula manus Christi perlata* tum ob gratiam, tum ob vires quibus non caret, tum ob faciliorem pulveris cum vehiculo mixtionem additæ dictis fuerunt.

XIX.

Fumaria particulis amaris subacribus humectantibus partim, partim stypticis (*Mesues* enim jam suo tempore hanc ex medicinis benedictis, sed ob exuberantiam à numero medicinarum pretiosarum exemptam diversarum partium esse statuit) attenuat, incidit, penetrat, aperit, resolvit, ad tales effectus disponit, & viscera roborat. Hinc *Camerarius* ex *Brassavola*, observavit fumarie pulvere sæpius exhibito quendam à Melancholia liberatum fuisse. *Hofmannus* in *Clav. Pharmaceutica* scribit: *Fumaria admiranda erit in diris affectibus efficacia, dum salia sylvestria in massâ sanguineâ & lymphâ contenta mirificè precipitat.* *Scorzonera*, quo *Veteribus* nomine veniat, an ad *Chondrillam Discoridis* referenda sit, hic non disputabimus, maximè cognata est *Tragopogo* nostrati flore suo composito, sive naturâ pleno seminibus papposis ac calyce squamoso minore radice vivaci ab eo differens: Possidet *Scorzonera* præter alexipharmacas particulas etiam mucilaginosas humectantes, (quas requiri supra diximus) hinc, ut ejus *Commendator Curiosissimus Ex Præses S. R. J. Acad. Nat. Curios.* tradit, inter alia corroborat, animumq; exhilarat, ideoq; in melancholia, palpitatione cordis animiq; deliquio magni facienda, qui & vinum ex scorzonera claret. chalybeat. & Electuar. *Mynsichti* ex ead. commendat contra melancholiam: Hinc & *S. Pauli* mœstitiâ ac melancholiam fugare dicit. *Syrupus Byzantinus simplex Mesue* ex succo endiv. apii. lupul. bugloss. paratus, ut ejus vires describuntur in dispensator. Aug. inter alia humores tenaces & lentos incidit, attenuat, infractus ab humoris melancholici crassitie dissipat. *Juscula alterata* vindicavit contra Adversarios *Excell. Dn. Præses* in alia *Casus Enodatione* publico Examini submissa. *Nasturtium aquaticum* terrestres fixas crassas acidas in corpore particulas emollit attenuat, incidit, spirituascere facit, mitigat, edulcorat sive potius inimico sapore, hostili textura privat.

XX.

Injunxit Medicus *Abſtinentiam à cibis ſolitis*, nam etiamſi primò non nocuerint, tamen ſenſim ſenſimq; characterem maſſæ ſanguineæ ſolidiſque partibus aut fermentum imprimunt, ſemēne quod diu latitat, ſenſim radices agit tandem tam firmas & progerminantes, ut difficulter evelli queant. Notent iſti, qui Regulas Medicorum diæteticas rident, cū nullam noxam mox percipiunt, Locum illum Galeni libr. d. *cibis boni & mali ſucci c. 21.* inſignem: *Quamvis pratinus nullam juvenum corporibus ſenſibilem læſionem inferant, ſenſim tamen occulteq; crescente vitio cum jam ætas progreſſu temporis inclinari, articulos nervos & viſcera iis morbis vexant, qui vel difficulter admodum vel omninò tolli non poſſunt.* De Enematibus ſcribit Celfus. l. 2. de Med. c. 12. *Omniſeculis nihil inventum eſt mitius, nihil benignius, nihil utiliſ, ſi alvus parum ſuo officio reſpondet, quam Clyſter ſapienter accommodatus; & ubi cætera purgantia, quantumvis mitia ſint, ventriculumpervertunt, appetitum dejiciunt, ſitim inducunt, & diu morantur & alias ſecum trahunt moleſtias: ibi Enemata operationem expediunt ſtatim, trahendo per ſucceſſionem non tam quæ ſunt præ foribus, quam quæ longius remota.* Quæ utique cauſa eſt, cur Itali hoc inanitionis tutiſſimæ genus ſervitiale nominent, ceu gratum aliquod ad ſanitatẽ ſervitium, quo Magnates Italiae & Gallia ſingulis menſibus uti ſolent. Unde & Galenus inquit: *Clyſter eſt juvamen ſeu medicamen nobile, evacuans ab inferioribus, & divertens à ſuperioribus, cum primis autem in hypochondriacis &c.* Hæc iſtis Celfi ſubjungit Geygerus in *microcosmo hypochondriaco*. Sæpiſſimè autem Enemata domeſtica operoſis à Medico præſcriptis purgantibus præſtantiora & commodiora parantur ex lacte, vitello ovi, butyro melle & ſaliſmodico, qualia hic injecta fuerunt, aut ex aliis æquivalentibus, hinc fæces alvi duriores emolliebant, fibras ſtriſctas inteſtinorum relaxabant, ſpiritus ſuſcitabant, irritabant. De *Acidulis* (quas nunc prolixè deſcribere & laudare inſtituti ratio non permittit) in ſpecie *Dainaceniſibus* non poſſum non huc adducere ea, quæ *Vir Nobiliſſimus Excellentiſſimus Experientiſſimus Dn. Johannes Ludovicus Møglingus, Med. D. & Profeſſ. Ordinarius, Patronus ac Præceptor Colendiſſimus in Diſputatione ſua Inaugurali de Melancholia Hypochondriaca, ante 47. annos habita, ſcribit: Omniſeculis hiſce portio acidularum ſatiſfacere fermè poteſt; Quales quidem præſtantiſſimas*
& huic

& huic malo singulariter quasi natus in nostro habemus Ducatu, Thenacenses vocatas; Solent enim pertinaces venularum obstructions egregie reserare, incendia viscerum temperare & extinguere ipsumq; succum adustum & melancholicum, viribus spiritibusq; argenti & lapidis lazuli imbuta, eluere & expurgare; cerebro utiles, ventriculo amicae. Verna purgatio & V. S. ut à multis morbis praeservat, paroxysmos praecavet, mitiores reddit, ita & hic, nè particulæ sanguinis in Temperamento melancholico praeditis obviae augerentur, intenderentur, acuerentur, Medici & Aegræ intentioni satisfecit, per **DEI**
Gratiam medicamentis benedicentem, Cui sit **LAUS**
HONOR & GLORIA in seculum
seculi!

